

[238, nota]. Est etiam dogma Catholicum, divinam naturam in tribus Personis divinis non multiplicari, sed esse numerice unam. Ex quo patet, perperam omnino in ea schola doceri, *ad credibiliorē efficiendam fidem divinæ Trinitatis*, unam eandemque animam esse in singulis hominibus, nec nisi supposito distingui.

Obiectio II. — Si actio generativa est distincta ab actione qua anima creatur, daretur in homine duplex esse substantiale, alterum scilicet quod terminat corporis generationem, alterum vero quod terminat animæ creationem. Atqui id pluries negatum fuit in præcedentibus.

Respondeo. *Neg. mai.* Esse enim quod totum motum generationis terminat est esse compositi, quod in præsentem esse hominis. Esse autem substantiale hominis est ipsum esse animæ secundum quod est actus animæ simul et corporis [223]. “ Pro tanto in homine, ait divus Thomas, non est duplex esse, quia non est sic intelligendum corpus esse a generante, et animam a creante, quasi corpori adquiratur esse separatim a generante, et separatim animæ a creante: *sed quia creans dat esse animæ in corpore, et generans disponit corpus ad hoc quod huius esse sit particeps per animam sibi unitam.* ” (*loc. cit.* ad 20.)

Instabis. Impossibile est diversorum agentium diversas actiones terminari ad unum factum. Atqui id contineret, si unum idemque esse, hominis scilicet, ponatur tanquam terminus actionis generativæ parentum, et creativæ Dei.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de agentibus invicem minime ordinatis, *conce.*; si sermo sit de agentibus invicem ordinatis, per modum quo causa instrumentalis vel secunda ordinatur sub causa principali vel prima, *neg. Contradist. min.* Etiam hoc egregie explicatum habes apud Angelicum. “ Si enim, ait, ordinata sint (agentia) ad invicem, oportet eorum esse unum effectum. Nam causa agens prima agit in effectum causæ secundæ agentis vehementius quam ipsa causa secunda. Unde videmus, quod effectus qui per instrumentum agitur a principali agente,

magis proprie attribuitur principali agenti quam instrumento. Contingit autem quandoque, quod actio principalis agentis pertingit ad aliquid in operato, ad quod non pertingit actio instrumenti; sicut vis vegetativa ad speciem carnis perducit, ad quam non potest perducere calor ignis qui est eius instrumentum, licet operetur disponendo ad eam, resolvendo et consumendo. Cum igitur omnis virtus naturæ activa comparetur ad Deum sicut instrumentum ad primum et principale agens, nihil prohibet in uno et eodem generato, quod est homo, actionem naturæ ad aliquid hominis terminari, et non ad totum quod fit actione Dei. Corpus igitur hominis formatur simul et virtute Dei quasi principalis agentis et primi, et etiam virtute seminis quasi agentis secundi; sed actio Dei producit animam humanam, quam virtus seminis producere non potest, sed disponit ad eam. ” (*2. Cont. Gent.* c. 89.)

Obiectio III. — Constat, in liberos a parentibus transfundi proprietates quoque individuales ad animam pertinentes consimiles his quæ existunt in parentibus. Sic etiam Catholica fide edocemur, peccatum originale, quod est in anima, generatione propagari. Ergo videtur ipsa anima generatione propagari.

Respondeo. *Conce. antec., neg. conseq.* Similitudo illa proprietatum individualium, quæ sæpenumero intercedit parentes inter et liberos, contingit ex parte corporis quod virtute seminali formatur a parentibus derivata, ratione cuius liberorum corpora etiam in proprietatibus individualibus quandoque parentibus assimilantur. Quod vero inde deriventur consimiles etiam proprietates in animam, fit ex naturali respondentia animam inter et corpus. Ad illud vero quod additur de propagatione labis originalis, respondeo breviter cum sancto Thoma. “ Peccatum originale dicitur peccatum totius naturæ, sicut peccatum actuale dicitur peccatum personale. Unde quæ est comparatio peccati actualis ad unam personam singularem, eadem est comparatio peccati originalis ad totam naturam humanam traditam a primo parente, in quo fuit peccati initium, et per cuius voluntatem in omnibus originale pec-

catum quasi voluntarium reputatur. Sic ergo originale peccatum est in anima, in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur; et ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum carne traducta una natura. Si enim non uniretur ei ad constituendam unam naturam, sicut Angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet. (Qg. Disp., l. c. ad 3.). Memineris tamen, rem hanc pertinere ad Catholicae fidei mysteria, vere et proprie eiusmodi, quae propterea religioso intellectus obsequio credenda sunt, non curiosa rationis investigatione perscrutanda, iuxta illud, *Altiora te ne quaesieris*.

SECTIO VIII.

De habitudine animae rationalis ad suas facultates

251. **Argumentum.** — Plura huc spectantia partim in praecedentibus, partim in Prima Philosophia iam determinavimus. Supponimus itaque, tum potentias seu facultates agendi a substantia animae, tum earumdem actus seu operationes ab iis reipsa esse distincta [*Pr. Ph.* 635, seqq.]; ubi etiam rationem attulimus [644, nota], quamobrem tanta operationum facultatumque varietas existat in anima rationali. Supponimus etiam propriam ac generalem distinctionem facultatum inorganicarum ab organicis, propterea quia illae in sola anima, haec vero in ipso corpore animato ut in subiecto insunt [234]. Quae etiam sit propria ratio singularum potentialium vitae sive vegetalis sive animalis, in Prima Parte [59, seqq.] late exposuimus. Haec igitur retractare non oportet. Cum tamen aliqua supersint in re praesenti, quorum declaratio merito postulari potest, ea paucis hic expoliemus.

252. **Propria et essentialis ratio cuiusque potentiae unde dimetienda.** — Primo itaque observandum est, potentiam duplici ratione esse considerandam. Est enim forma quaedam accidentalis ac naturalis proprietatis. Habet praeterea specialem rationem talis accidentis et proprietatis, *potentiae scilicet operative*. Patet, priorem rationem esse genericam, alteram vero specialem; specialem dico per modum non speciei infimae sed intermediae: sunt enim multae potentiae quae, ut tales, specifice distinguuntur. Iam age, si primo modo potentiae spectentur, earum propria et essentialis ratio desumi debet ex ordine ad naturam ipsam cuius sunt accidentia et ex qua naturaliter dimanant: ad ipsam quippe ordinantur ut ad finem, et ex ipsa per se enascuntur ut a proximo principio; patet autem haec esse invicem plane commensurata. [*Pr. Ph.* 667, VI; 682.] Hoc modo differt essentialiter ex. gr. intellectus et voluntas angelica ab intellectu et voluntate humana. Quod si potentia, ut potentia est, consideretur, eius essentialis ratio definiri debet ex ordine ad actus et obiecta, prout per se primo haec ab ea respiciuntur, quemadmodum ex. gr. intellectus ab *intellectione entis*, et voluntas ab *appetitione boni intellecti*. Id sic demonstrat divus Thomas. "Dicens quod potentia, secundum illud quod est potentia, ordinatur ad actum. Unde oportet, rationem potentiae accipi ex actu ad quem ordinatur; et per consequens oportet quod ratio potentiae diversificetur, ut diversificetur ratio actus. Ratio autem actus diversificatur secundum diversam rationem obiecti. Omnis enim actio vel est potentiae activae, vel passivae. Obiectum autem comparatur ad actum potentiae passivae sicut principium et causa movens; color enim, in quantum movet visum, et principium visionis; ad actum autem potentiae activae comparatur obiectum, ut terminus et finis; sicut augmentativae virtutis obiectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti. Ex his autem duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio, vel ex fine seu termino." (*Summa th.* 1. p. q. 77. a. 3.)

253. **Tres ordines seu gradus potentialium animae.**

Ex tradita doctrina duo intelliguntur eleganter admodum exposita a Doctore Angelico (*Summa th.* 1. p. q. 78. a. 1.). Dicitur est, potentiam, si spectetur sub generali ratione naturalis proprietatis, commensurari debere in sua perfectione secundum gradum perfectionis naturae seu formae unde dimanat. Quare, si de animae potentiis sit sermo, quem admodum distinguitur triplex ordo seu gradus animarum, totidem etiam ordines seu gradus potentiarum animae distinguere oportet. Accipitur autem propria perfectio animae, prout anima est, secundum quamdam elevationem supra communem gradum naturae corporeae; cuius rei gratia, ut diximus [92, obiec.], corpus ad animam comparatur eum materia ad formam. Hinc diversi etiam gradus potentiarum iure optimo distinguuntur, secundum diversum gradum elevationis supra communem modum operandi naturae corporeae. * Est ergo, pergit S. Thomas, quaedam operatio animae quae in tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exerceatur per organum corporeale; et talis est operatio animae rationalis. Est autem alia operatio animae infra istam, quae quidem fit per organum corporeale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem; et talis est operatio animae sensibilis: quia etsi calidum et frigidum et humidum et siccum et aliae huiusmodi qualitates corporeae requirantur ad operationem sensus, non tamen ita quod mediante virtute talium qualitatum operatio animae sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi. Infirma autem operatio animae est quae fit per organum corporeum, et virtute corporeae qualitatis. Superergreditur tamen operationem naturae corporeae: *quia motiones corporum sunt ab exteriori principio; huiusmodi autem operationes sunt a principio intrinseco* * (*loc. cit.*) (1).

(1) Ex his patet, proxime et per se hanc distinctionem potentiarum, et operationum, inspecto scilicet earundem gradu seu ordine, non accipi secundum distinctionem obiectorum, sed pro maiore vel minore recessu a materialitate. Quare Docteur Angelicus eandem quae-

254. **Quinque genera potentiarum animae.** — Ut gradus potentiarum animae desumuntur ex earundem maiore vel minore immaterialitate, sic diversa genera ipsarum considerantur pro generali divisione obiectorum circa quae

stionem alibi pertractans (Qq. Disp. *De Anima*, q. un. a. 13.), expresse docet, actionem omnium animae vegetabilis transcendere quidem actionem naturae humanam quantum ad modum agendi, non vero quantum ad id quod agitur. Ceterum, et hoc apprime notandum est, quoniam materia coarctat formam et quasi constringit, ne ad plura se extendat, hinc ex descripta elevatione animae supra naturam corporealem consequitur in animae sensitiuae et intellectivae potentiis et operationibus diversitas etiam in propriis obiectis. Quod sic declarat rursus idem S. Doctor. * Operatio animae est operatio rei viventis. Cum igitur unicuique rei competat propria ratio, secundum quod habet esse, eo quod unumquodque operatur, in quantum est ens; oportet operationem animae considerare secundum quod invenitur in viventibus. Huiusmodi autem viventia inferiora, quorum actus est anima de qua nunc agitur, habent duplex esse. Unum quidem materiale, in quo conveniunt eum aliis rebus materialibus; aliud autem immateriale, in quo communicant cum substantiis superioribus aliquantulum. Est autem differentia inter utrumque esse; quia secundum esse materiale, quod est per materiam contractum, inaequale res est hoc solum quod est, sicut hic lapis non est aliud nisi hic lapis; secundum vero esse immateriale, quod est amplum et quodammodo infinitum, in quantum non est per materiam terminatum, res non solum est id quod est, sed etiam est quodammodo alia. Unde in substantiis superioribus immaterialibus sunt quodammodo omnia sicut in universalibus causis. Huiusmodi autem immateriale esse habet duos gradus in istis inferioribus. Nam quoddam est penitus immateriale, scilicet esse intelligibile: in intellectum enim res habent esse, et sine materia, et sine conditionibus materialibus individualibus, et etiam absque organo corporali. Esse autem sensibile est medium inter utrumque: nam in sensu res habet esse sine materia, non tamen absque conditionibus materialibus individualibus, neque absque organo corporali; est enim sensus particularium, intellectus vero universalium. Et quantum ad hoc duplex esse dicit Philosophus..., quod anima est quodammodo omnia. Operationes igitur quae competunt viventi secundum esse materiale, sunt operationes quae attribuuntur animae vegetabili: quae tamen, licet ad id ordinentur, ad quod etiam ordinantur operationes in rebus inanimatis, scilicet ad consequendum esse et conservandum, tamen in viventibus hoc fit per altiore et nobiliorem modum. Corpora enim inanimata generantur et conservantur in esse a principio motivo extrinseco... (*De Anima*, lib. 2. lect. 5.)

operatione sua versantur. Quare haec est primaria et propria divisio potentiarum animae, spectata nimirum formali potentiae ratione. Est autem de ratione vitaliter operantis, ut in suis perfectiōem operetur [52]. Obiecta proinde secundum quorum divisionem potentiae animae dividuntur, semper spectari debent per comparationem ad propriam perfectiōem ipsius animati, gignendam scilicet, conservandam, vel augendam. Iam age, res ita si consideretur, primum et infimum genus potentiarum complectitur eas, quae pro obiecto et fine non habent nisi corpus animae unitum. Huc spectant potentiae vegetativae, generativa scilicet, nutritiva, et augmentativa: harum quippe operatio non versatur nisi circa ipsum corpus cui anima unitur [65, III]. Subsequuntur alia potentiarum genera, quae universalis adhuc respiciunt obiectum, pro eo quantum huc spectant, ut perfectiōne etiam aliarum rerum nobilitentur sive corporearum, sive etiam incorporearum. Est autem duplex comparatio rei exterioris ad animae operationem. Uno modo, in quantum nata est in animam quasi trahi in eaque subsistere per sui similitudinem intentionalem, ut fit per cognitionem; alio modo, prout nata est ipsam animam sibi coniungere et ad se inclinare, ut videre licet in actu appetendi. Hinc quatuor exurgunt potentiarum genera, *sensitivum* scilicet et *intellectivum*, *appetitivum* et *motivum secundum locum*. Priora duo considerantur secundum primam comparationem rei exterioris ad animam, prout scilicet ad eam trahitur per intentionalem similitudinem: sensitivum quidem respectu cuiusque corporis; intellectivum vero respectu obiecti communissimi, quod est omne ens. Alia vero duo accipiuntur secundum aliam comparationem rei exterioris ad animam, quatenus scilicet ad se eam trahit et inclinatur: nam per appetitum anima inclinatur versus obiectum ut in finem, qui est primum in intentione; per motum vero localem executive progreditur ad consequendum obiectum desideratum et intentum. Minime autem oportuit appetitum subdividere in intellectivum et sensitivum: haec quippe distinctio virtualiter continetur in praecedenti. Ad rem Sylvester Mauro. * Sen-

sitivum, ait, et intellectivum poni debent, ut diversa genera potentiarum, quia est explicanda differentia eorum consistens in hoc, ut sensitivum habeat obiectum non omnino commune, intellectivum habeat obiectum omnino commune et universale. At explicata semel hac differentia intellectivi a sensitivo, appetitus sensitivus non debet poni tamquam diversum genus ab intellectivo, quia per hoc non explicatur nova differentia, quae non sit virtualiter explicata assignando differentiam intellectivi a sensitivo, sed eam proportionaliter replicaretur frustra multiplicando membra divisionis. (Qq. Philos., lib. 4. q. 25.)

255. **Notanda in doctrinam praecedentem.** — Hic vero duo haec animadvertas.

I. Obiectum in re praesenti *formaliter* spectari debet, non *materialiter*. Formaliter dicitur spectari, cum consideratur in ea ratione praecise secundum quam res habet ut a tali potentia sit attingibilis. Cetera omnia dicuntur materialiter se habere ad propriam obiecti rationem. Hoc modo ratio *entis* est formalis ratio obiecti intelligibilis, ratio *boni apprehensi* est formalis ratio obiecti appetibilis. Quocirca, si sermo sit de potentiis intentionalibus, ut sunt facultates cognoscitivae et appetitivae, sedulo distinguere oportet obiectum formale *sic declaratum* (1) a ratione *obiective movente*, ut est ex. gr. medium respectu conclusionis, et ipsa ratio boni respectu appetitus. Multa enim per se spectant ad formalem rationem obiecti alicuius potentiae, quin tamen possint idcirco dici esse id quod proprie et per se movet ad cognoscendum vel appetendum. Res manifeste patet in ipso appetitu. Ratio quippe *boni appreh-*

(1) Consulto sic loquimur. Ut enim notavit L. De Lossada (*Cursus Philosoph.*, to. 1. D. 2. c. 1. n. 4.), etsi celebratissima est divisio obiecti in materiale et formale, *ea tamen cum suis subdivisionibus annexis iam varie exponitur ab auctoribus cuiusvis scholae, ut viz duos inter se per omnia consentientes invenias*. Nos constanter adhibuimus has voces eo sensu et eum ea amplitudine qua ex S. Thoma usurpari consueverunt.

hensi est formalis ratio obiecti appetibilis; apprehensio tamen est simplex conditio requisita ut bonum moveat. Sic etiam, respectu intellectus *credentis*, ineventitia veritatis quae creditur, spectat certe ad formalem rationem obiecti credibilis, minime tamen potest dici ipsa movere ad credendum. Multa alia eiusmodi exempla dabimus suis quaque locis.

II. Etiam actus unde desumitur propria ratio potentiae, spectari potest formaliter et materialiter. Cum enim ab una potentia multi et diversissimi actus profisciscantur, necesse est, ut in una generali ratione coadunentur quae eis in causa sit cur a tali potentia dimanent. Hoc modo se habet ex. gr. *intelligere, ut sic*, respectu intellectus. Haec proinde formalis ratio actus respondet formali rationi obiecti cuiusque potentiae per modum cuiusdam unionis inter bina extrema. Servata autem hac generali et formali ratione tum actus tum obiecti, respectu unius eiusdemque potentiae actus ab ea profisciscentes ulterius distinguuntur dupliciter. Primo quidem pro diversitate specialium obiectorum in quae subdividitur generale obiectum quod per se primo a facultate respicitur: et sic intellectio unius veri alia est ab intellectione alterius. Dein vero pro diverso modo quo saepe contingit unum idemque obiectum potentiae obversari. Sic differt ex. gr. mera *complacencia* voluntatis ab amore *effeuci*. Sic etiam in appetitu sensitivo differt ex. gr. *spes et desperatio*: siquidem utriusque actus idem est obiectum, *bonum scilicet arduum futurum*, cui tamen spes comparatur per modum *accessus*, desperatio vero per quemdam *recessum*, ut suo loco plenius explicabitur.

256. **Quae potentiae remaneant in anima separata. Obiectio diluitur.** — Exposita praecedenti questione de propria ratione ac specificatione potentiarum animae, ipsarumque operationum, altera quaestio superest breviter decidenda, an et quo pacto enumerata potentiarum genera remaneant in anima a corpore separata. Porro id facile ex praesentibus principiis considerari potest. Potentiae enim, spectato ordine executionis, comparantur ad animam, ut

ad principium a quo tanquam ex prima radice naturaliter dimanant, et tanquam ad subiectum quod eis informatur ut sit actu potens earum operationes exercere. Primo modo, omnes, nulla excepta, remaneant in anima separata. Anima quippe est radix et origo omnium potentiarum non per aliquid a se distinctum, sed per suam essentiam: essentialiter quippe et est intellectiva et est forma. Atqui non mutatur anima per separationem a corpore. Ergo omnes potentiae etiam organicae praedicto modo superesse dicendae sunt in anima separata. Alio vero modo remaneant dumtaxat potentiae anorganicae. Ceterae enim sunt in coniuncto: atqui destructo subiecto non potest accidens remanere. Unde, concludit S. Thomas, *corrupto coniuncto non manent huiusmodi potentiae actu, sed virtute tantum manent in anima, sicut in principio vel radice.* (*Summa th. 1. p. q. 77. a. 8.*)

Dices. Ex communi sententia Ecclesiae, ignis inferni quo torquentur animae separatae damnatorum, materialis est ac corporeus. Atqui eiusmodi passio est actus facultatis sensitivae. Ergo potentiae sensitivae in anima separata manere dicendae sunt. Hae vero potentiae sunt organicae, et ad coniunctum spectare dicuntur.

Respondeo. *Conc. mai., neg. min.* Ignis gehennae est ille ipse qui *paratus est diabolo et angelis eius*, ut testatur Christus Dominus Matth. XXV. 41. Atqui daemones profecto potentias sensitivas minime habent, ne in virtute quidem: secus enim non essent puri spiritus, sed corpora naturaliter informare possent. Quare, quicumque sit *mirus ille et verus modus*, ut ait Augustinus, quo ignis inferni agit in animam separatam, nullo iure inde concludere licet, potentias sensitivas earumdemque actus existere actu in anima a corpore seiuncta. Quocirca S. Thomas absolute pronuntiat. *Falsum est quod quidam dicunt, huiusmodi potentias in anima remanere, etiam corpore corrupto; et multo falsius quod dicunt, etiam actu harum potentiarum remanere in anima separata; quia talium potentiarum nulla est actio nisi per organum corporeum.* (*loc. cit.*). Ceterum, ut aliquo modo fiat intelligibile, qui

feri possit ut spiritus, separatus licet, a corporeo igne torqueatur, rem fortasse ita licebit explicare (1).

I. Perceptio *immediata* et *experimentalis* non modo respicit obiectum ut existens, sed ab eius physica praesentia et influxu determinatur. Ea vero potest esse tum organica, tum anorganica. Sensatio pertinet ad priorem. Altera vero potest dici pertinere ad *sensum intimum*, secundum quod iste consideratur in sola anima: quique minime confundi debet cum ipso intellectu, prout intellectus est; huius quippe proprium est *quidditatem penetrare*.

II. In actu sensationis, intuitivae scilicet et experimentalis, duo sunt inspicienda, non quasi duae modificationes sui actus, sed ut binae formalitates: videlicet

(1) Explicatio quam hic subieci, illa eadem est, quam tradidi in tract. *De Deo Creatore et Remuneratore*, quem anno 1875 theologiae auditoribus dictavi in Collegio Lavallensi S. I. in Gallia. Si aliter fortasse id minus arduet, in re adeo salebrosa meminerit illud sapienter ab Augustino dictum, "Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhaerebunt, eorum iunctura inspirentur, et animalia flant, quae constant spiritu et corpore; sed, ut dixi, *miris* et *ineffabilibus modis* adhaerendo, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam. Quia et iste alius modus, quo corporibus adhaerent spiritus, ut animalia flant, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est." (21. *Cir.* 10.) S. Thomas (4. *Dist.* 44. q. 3. a. 3. solut. 3.) sic exponit eiusmodi cruciatum, qualenus actione ignis divinitus operantis, animae separatae ac daemones invite detineantur in loco, ita ut neque se inde liberare, nec libere actiones suas, ubi et quomodo vellent, agere possint. Ceterum multis theologis displicet, in hac *sola* alligazione et quasi incarceratione consistere poenam ignis infernalis, tum quia Patres adeo exaggerant hanc poenam, ut incredibile sit de hac sola afflictione ob delationem ipsos esse locutos; tum quia inde sequeretur, daemones nondum pati hanc poenam, cumdemque esse aequalem in daemionibus et animabus separatis, immo in hominibus reprobis post diem iudicii fore maiorem, quam in angelis malis: tum denique, quia non minus ad id praestandum conferret aer aut corpus quodlibet, quam ignis. Vide Suarez (*De Angelis*, lib. 8. c. 14. n. 11.), Toletum (1. p. q. 64. a. 3.).

ipsa experimentalis perceptio secundum se et absolute inspecta; et eius materialitas seu modus materialis ei intrinsicus, quod ex. gr. alligata sit determinatae parti corporis, quod illi coextendatur, etc. Hac duae quasi formalitates conveniunt in unum individuum actum sentiendi ratione admirabilis conjunctionis animae cum corpore, ut formae cum materia. Quare istiusmodi actus minime inveniri potest in anima separata.

III. Quod si sola inspiciatur *experimentalis* perceptio *sine materialitate*, ea non videtur cur in spiritu separato vigere nequeat, actu scilicet distincto, ut diximus, a proprio actu intellectionis quidditatum rerum. * In daemionibus, ait Lessius, et anima separata, non solum esse vim intelligendi qua obiecta externa intelligendo cogitant vel speculantur, sed etiam percipiendi *modo sensibili*, (intellige *experimentalis*), *ipsis obiectis accommodato*, etsi longe perfectius et ex maiori intervallo, quam homines possint percipere. (*De perfectionibus divinis*, lib. 13. c. 30. n. 218.).

IV. Etsi corpora, puta ignis, naturaliter agere minime possunt in spiritu, nihil vetat, quinoniam tanquam instrumentum divinae virtutis ad hoc eleventur. Id porro fit in igne spiritus separatos cruciande. Posita autem praedicta elevatione, cruciatus ille quem anima separata et daemones experiuntur, similis videtur illi quem anima unita corpori experitur, non quidem secundum modum materialem et extensum, qui propter unionem cum corpore ei convenit, sed duntaxat quoad intimum sensum doloris quem ex combustione experitur. Atque ita haec res videtur concipi a fidelibus.